

17

13

14

15

15

16.

17.

18.

1752.

13^o Nesselblatt, David : De successione expectativa rationum
in pensione aportata. 4 Graphs.

14^o Nesselblatt, David : De necessitate ejusque in
juri effectu.

15^o Et Probitus, Anna Frederica : De haemorrhagia ratione
in scurvis.

15^o Schepers, Anna Salpator : De jure liberorum
viris parentibus et iuris factorum respectu succes-
sionis in brat parentum.

16. Hichtzius, Anna Frederica : Praescientiae deponen-
tatio apud eam Petri P. b. de Hollberg objectum est
dilectae

17 Weberus, Christianus : De origine essentiarum

18. Nideburgius, Fredericus : Examen consuetudinis Imperialis inter
Lithuanum et Pravarum et Fredericorum Ruthianum

1752

19 Zschirner, Burkhard Tranzatl: *De propagatione religionis
armata.*

PIETATIS ET TIRIDA
S. CONCESSIONE
PRESPECTA IN FORMVM
FEUDVM APER TVM

PRAESIDE
VIRO CONVENTISSIMO ET INGENIENTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT

IN TALIS VOBIS CIRCA TULIT
PUBLICAB ERUDITORVM DISQUISITIONE

BONIFACIO CHRISTOPHORER

IN PRAESES CONVENTU
TULIT M. H. D. H. H. H. H.

4.

4. 1758. 13.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
SUCCESSIONE
EXSPECTATIVARIORVM
IN
FEVDVM APERTVM

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT
POTENTISS. PRUSSIAE REGI A CONSILIIS AVLICIS
ET IVRIVM PROFESS. PVBL. ORDIN.
DIE XXI. OCTOBRIS CIO ICI CCLII.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVEMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS
HENRIC. IAC. CHRIST. BRÜCKNER
ERFORDIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.



DISSERTATIO IVRIDICA
DE
SVCCESSIONE EXSPECTATIVA-
RIORVM IN FEVDVM APERTVM.

C A P V T I.

DE
FEVDI APERTVRA IN GENERE.



Licit certissimum sit', feudum nunquam aperiri, nisi vasalius possessor amittat dominium utile feudale: non tamen toties, quoties vasallus possessor illud amittit, feudum aperitur. In formanda notione aperturae feudi itaque determinandum est, quae dominii utilis feudalis amissio efficiat feudum aperiri. Si vero eo cogitationes nostras dirigimus, feudi aperturam tum contingere patet, si, re feudal i ipsa adhuc subsistente, va-

A 2

fallus

Aperturae
feudi &
feudi aperti
definitio.

fallus possessor dominium vtile feudale amittit ita, ut in extraneum non translatum, nec tamen adsit, qui vi primae inuestiture de praesenti in illud succedit. Vnde per se patet, quando *feudum dicatur apertum*, tum nimirum, si eius apertura facta.

§. II.

Casus, in quibus feudum non aperitur, res-
censentur.

- 1) *rei interitum*, quoniam tum *feudum ipsum non subsistit*;
- 2) *alienationem*, quoniam tum in extraneum *transfertur*;
- 3) *praescriptionem*, si extraneus dominium vtile contra vasallum *praescribit*, quoniam & tum in extraneum *transfertur*;
- 4) *appropriationem* ut & *praescriptionem*, per quam *vasillus contra dominum praescribit dominium directum*, quoniam in *viroque casu vasillus non amittit dominium vtile*;
- 5) *morte in relictis successoribus feudalibus legitimis*, quoniam tum non defunt, qui de praesenti, vi primae inuestiture, succedunt;
- 6) *resignationem in tertii suorem factam*, quoniam tum in extraneum *transfertur*.

§. III.

Casus, in quibus aperiri per
tura sit, res-
censentur.

- Econtra vero ex data definitione fluit, *feudum aperiri*.
- 1) *mortem*, si *vasillus nullis relictis successoribus feudalibus legitimis moritur*;
 - 2) *felo-*

- 2) feloniam omnem, siue in dominum, siue in extraneum
sit commissa;
- 3) resignationem, quae vera refutatio est;
- 4) praescriptionem, si dominus dominium utile contra
vasallum praescriperit;
- 5) temporis lapsum;
- 6) susceptionem clericatus.

In omnibus his casibus enim contingit, vasallum possessorem dominium suum utile amittere, feudo ipso subsistente, nec tamen per translationem in extraneum amissio sit. prout etiam semper desunt, qui, vi primae inuestiturae, de praesenti succedunt.

§. IV.

Praeter sex in §. praeced. recensitos casus non dantur alii, in quibus feudum aperitur. Non dantur enim casus amissionis dominii utilis, qui in §. 2. & praec. non recensi ti. Cum itaque ii, qui in §. 2. recensiti, non sint tales, in quibus feudum aperitur, non nisi sex in §. praec. recensitos tales esse, manifestum est.

*Quot den-
tur aperi-
rae casus,
determina-
tur.*

Vt vero in sequentibus compendio vti possim, liceat hos casus appellare: casum mortis, refutationis, feloniae, praescriptionis, temporis, susceptionis clericatus.

§. V.

Licet, existente uno vel altero casuum aperturae, adsint simultanee inuestiti, vel qui ex pacto succedunt, vel exspectatiuarii, tamen, hoc non obstante, feudum aperitur. Hi enim, licet de praesenti succedant, hincque videatur, eos impre dire aperturam, tamen non succedunt vi primae inuesti-

*An apertu-
ra fiat, vel
non, in cas-
bus quibus-
dam dubiis
examina-
tur.*

turae, & sic adsint tamen omnia ea, quae adesse debent, ut
feudum aperiatur (§. I.).

§. VI.

*Idem ulte-
rius evolu-
ritur.* Si, existente casu quodam aperturae, contingat, legiti-
mos successores superesse, qui adhuc aliquando succedere de-
bent, vel etiam contingat, in eos extra ordinem statim deuo-
lui feudum, tamen, hoc non obstante, feudum aperitur.
Priores enim non succedunt de praesenti, licet vi primae
inuestiturae succedant: posteriores vero, licet de praesen-
ti feudum ad eos deuoluatut, tamen non succedunt vi pri-
mae inuestiturae. Cum itaque nihilominus desint, qui
vi primae inuestiturae de praesenti succedunt, licet, casu
quodam aperturae existente, adsint tales, qui in proposi-
tione ipsa nominati, tamen feudum aperitur (§. I.).

§. VII.

*Divisio feu-
di aperti
explicatur.* Quando contingit feudum aperiri, is, cui aperitur,
vel est dominus feudi, vel aliis. In priori casu dicitur,
feudum domino apertum, in posteriori vero, *feudum domi-
no non apertum*. Ast, si feudum domino aperitur, hoc est,
eius dispositioni subiicitur dominium vile feudi, contin-
git nonnunquam, neminem superesse, qui iam dominium
vtile feudi habet, nonnunquam vero, tales adhuc super-
esse, & tum feudum domino apertum in priori casu, *feu-
dum domino simpliciter apertum*, in posteriori casu vero,
feudum domino ad tempus apertum, appellatur.

§. VIII.

E exemplis Quoties, feudo aperto facto, adsint simultanee inuestiti,
in illud de praesenti succedentes, feudum apertum, non est feu-
dum domino apertum, sed potius feudum domino non aper-
tum.

tum. Si enim adsumt, feudo aperto facto, simultanea investiti in illud de praesenti succedentes, domini dispositio- ni non subiicitur dominium vtile feudi, sicque nec ei aperi- tiri feudum dici potest (§. 7.).

Licet itaque §. 5. dictum sit, simultaneam investituram non obstat, quo minus feudum aperiatur, tamen obstat, quo minus, si aperitur, domino aperiatur, cum potius simultanea investitum aperiatur; modo simultanea investitu de praesenti iam succedant. Nam, si demum aliquando ad successionem admittendi, feendum domino aperiatur, aut non nisi ad tempus. Conf. BOEHMERI Con- fult. & Dec. Tom. I. P. 2. Conf. 80. Quæst. 4.

§. IX.

*Si, feudo aperto facto, adsumt ex pacto succedentes, vel illu-
expectatiuarii, hoc non obstante, tamen feudum domino &
quidem simpliciter aperitur.* Hi enim nondum habent do-
minium vtile feudale, licet sint eventualiter investiti, cum
& in hoc casu non nisi dominium vtile conditionale habe-
ant, conditio vero nihil ponat in esse, sicque tempore aper-
ture nondum habeant actu dominium vtile, licet per ipsam
apertura illud acquirant. Nihilominus itaque, licet tra-
les adsumt, feudum aperiatur, ita, ut desint, qui tempore
aperturae iam actu habent dominium vtile eius, sicque do-
mino simpliciter aperitur (§. 7.).

§. X.

*Si, feudo aperto facto, illud extra ordinem de praesenti fratur.
devolvitur in aliquem, qui vi primæ investiturae demum ali-
quando succedere deberet, feudum est feudum domino non
apertum.* Tum enim iterum domini dispositio non sub-
iicitur feudum, sicque nec dici potest ei aperiri illud
(§. 7.).

Quæ

Caput I. De feudi apertura

Quae de definitione & diuisione feudi aperti dicta, & per propositiones ex iis deductas illustrata sunt, cum legibus optime conuenient, licet expressa legum verba defint. Quod enim attinet ius feudale Longobardicum, in multis textibus, veluti *I. Feud.* 18. *II. Feud.* 15. 26. 31. 37. 44. quidem mentio sit aperturæ feudi, ast nullibi definitur, & eius species explicantur. Cum vero in his textibus non solum tum feudum dicatur apertum, si desunt successores feudales legitimi, veluti *I. Feud.* 18. *II. Feud.* 15. 26. sed & tum, si iis non deficientibus, per feloniam vasallus dominium vtile amittit, non solum in eo casu, quo propter feloniam in dominum commissam, domino aperitur feendum, veluti *II. Feud.* 37. 44. sed etiam in eo casu, quo, per feloniam in extraneum commissam, agnatis aperitur, veluti *II. Feud.* 31. notio feudi aperti ea his legibus conformis est, quae omnes hos casus sub se comprehendit, qualis est, quam §. 1. fistit. Vnde simul pater, & ipsas diuisiones in §. 7. obuias in legibus, si non quoad verba, tamen quoad rem ipsam obuenire. Quod vero attinet leges germanicas, saepe quidem in iis sit mentio der Eröffnung, ast nullus adest textus, ex quo notio aperturæ formari possit, aut qui ad minimum in ea formanda adminiculetur, praeter satis notum textum in *Art. IX. §. 10. Capit. Nov.* obuium, in quo dicitur: wenn auch inkünftige Leben dem Reich durch Todes-Fälle oder Verwürckung eröffnet und ledig heimfallen werden &c. Ex his verbis enim patet, non omnia feuda, quae aperiuntur, statim talia esse, quae domino directo ledig heimfallen, sieque diuisionem feudi aperti in feendum domino aperrum, & domino non apertum, sub his verbis latere. Si enim feendum apertum dem Reich ledig heimfaelt, est feendum domino apertum. Caeterum notandum, inter interpretes iuris feudalismus esse, qui inter feudi aperturam & evacuationem distinguunt, aliis hanc distinctionem negligentibus. Sic Illustr. DE BALTHASAR in Dissert. de jure reinfeudationis speciatim reformationis feudi Cap. I. §. 4. ab apertura feudi differre moneret ius aperturæ & evacuationem feudi, praemissisque definitiōnibus differentiam inter aperturam & evacuationem feudi inde deducit ita: in apertura adest consolidatio, & persona, quibus ordinarie competit successio absunt; in evacuatione autem prior deest,

& posteriores adiuntur. Ast nolui praeter necessitatem inter aperturam & evacuationem distinguere, nec possum admittere toties, quoties feudum aperitur, consolidationem fieri, quod tantum nonnumquam verum est, si nimur domino aperitur feudum. Tandem notes velim, me, quod attinet feudi domino aperi & eius diuisionis in feudum domino simpliciter apertum, & ad tempus aperatum, denominationem, vestigia Illustr. Georg. Ludou. BOEHMERT in Tract. de indeo & natura exspectatiuarum & inuestiturae feudalis & de huius renovatione Cap. I. J. i. premere.

§. XI.

His praemissis ante omnia determinandum, quando in sex casibus supra recentis, feudum apertum, feudum domino apertum sit, quando vero non; &, si feudum domino apertum est, quando sit feudum simpliciter, quando vero non nisi ad tempus apertum.

§. XII.

Si feudum per mortem aperitur, semper est feudum domino apertum simpliciter, siue adiunt ex pacto succedentes, aut exspectatiuarii, siue non, modo non adiunt simultanee inuestiti. Tum enim, si hi adiunt, feudum non domino, sed ius, aperitur. Id quod quilibet ex principiis §§. 8. 9. praemissis facile colligere potest, modo notet, si feudum per mortem aperitur, simultanee inuestitos statim & de praesenti succedere.

§. XIII.

Si feudum per feloniam aperitur, quando felonia in dominium commissa, sicque vera feloniam est, feudum est feudum feloniae; 2) in casu *domino apertum, & quidem tum simpliciter, si nec legitimi successores feudales, nec simultanei inuestiti adiunt, qui adhuc aliquando succedere debent, tum vero non nisi ad tempus;*

*pus, si tales adsunt. Quando vero felonia in extraneum commissa, feudum non est feudum domino apertum, nisi defint tales, in quos vi legis deuoluitur in hoc casu dominium utile. Tum enim itidem domino simpliciter aperitur. Tam notum enim quam quod notissimum est, si, felonia in dominum commissa, vasallus feudo priuatur, dominium utile domini feudi dispositioni subiici, ita tamen, ut, quando agnatos innocentes, vel etiam coinvestitos tangit successio-
nis ordo, illis restituendum sit, cum, si felonia in extraneum commissa, illud statim deuoluatur in proximum suc-
cessorem, modo talis supersit. Cum itaque, licet in priori casu domini dispositioni subiicitur dominium utile feu-
di, tamen in posteriori casu, nisi defint tales, in quos feu-
dum vi legis deuoluitur, idem non contingat, in priori casu feodium sit domino apertum, non vero in posteriori (§. 7.). At enim uero, quoniam, si per feloniam in domi-
num commissam, feodium ei aperitur, tum, quando de-
funt legitimi successores, vel simultanei inuestiti, qui ad-
huc aliquando succedere debent, non supersunt, quibus
competit dominium utile, in casu opposito vero tales su-
persunt, in priori casta simpliciter, in posteriori vero non
nisi ad tempus, domino aperitur feodium (§. 7.).*

§. XIV.

*Si feodium per refutationem aperitur, semper est feu-
dum domino apertum, & quidem tum, si non supersunt le-
gitimi successores feudales, vel simultanei inuestiti, qui ad-
huc aliquando succedere debent, simpliciter, si vero tales su-
persunt, ad tempus. Cum enim, si per refutationem ape-
ritur feodium, resignatio dominii utiles domino facta, quod
ei etiam aperiat feodium, dubio caret (§. 7.). Quoniam
vero, si, refutatione facta, adsunt legitimi successores feu-
dales,*

3) in casu
refutatio-
nis

dales, vel simultanee inuestiti, qui adhuc aliquando succedere debent, non desunt, qui iam habeat dominium vtile, cum in casu opposito tales desint, in priori casu feudum apertum est feudum domino simpliciter apertum, cum in posteriori casu sit feudum domino non nisi ad tempus apertum (§. 7.).

§. XV.

Si feudum per praescriptionem aperitur, idem obtinet, ⁴⁾ *in casu* ^{praescripti-} *quod s. praeced. dictum.* Praescriptio enim, per quam feu- ^{onis;} *dum aperitur, est ea, per quam dominus contra vasallum* *dominium vtile praescribit* (§. 3. n. 4). Vnde statim patet, in hoc casu, alii, quam domino, aperiri feudum impossibile esse.

Ast, si supersunt, feudo per praescriptionem aperto, successores feudales legitimi, seu simultanee inuestiti, qui adhuc aliquando succedere debent, quales superesse possunt, cum haec praescriptio non noccat negligentis vasalli agnatis, vel simultanee inuestitis, nisi & ipsi, ab eo tempore, quo ordo succedendi praesens eos tetigerit, per nouum spatium trecenniarium ius suum pariter neglexerint, adsunt adhuc tales, qui iam habent dominium vtile feudale, quales, his deficentibus, desunt, per consequens in priori casu ad tempus, in posteriori vero simpliciter, feudum domino aperitur (§. 7.).

§. XVI.

Si feudum per temporis lapsum aperitur, semper est ⁵⁾ *in casu* ^{temporis;} *feudum domino simpliciter apertum, nisi adsint simultanee* *inuestiti de praesenti succedentes.* Feudum per temporis lapsum aperiri, non nisi dupli modo contingere potest,

si nimirum vel ad tempus concessum est, vel concedentis ius resolutur. Licet vero in vitroque casu, si adiunt simultanee inuestiti, ii succedere debeant in feudum ita aperatum; tamen nunquam vasalli possessoris legitimi successores feudales succedere possunt. Quae cum ita sint, in subsidium vocatis notionibus feudi domino aperti & domino simpliciter aperti (§. 7.), constabit de veritate propositio-
nis demonstrandae.

§. XVII.

6) *in casu susceptionis clericatus feudum domino non aperitur.* Si enim per susceptionem clericatus aperitur feudum, id statim deuoluitur in proximum suc-cessorem (arg. II. Feud. 37. pr.), hincque fluit per defini-tionem feudi domino aperti (§. 7.) in hoc casu feudum do-mino non aperiri.

Haec sunt, quae de feudorum apertura in genere praemittenda esse duxi. Licet enim non omnino noua sint, quae dixi, non tamen ita iam sunt excussa, ut praetermittere, & in sequenti tractatione gratis adsumere potuerim. Praesertim vero omnes aperturae casus determinandi erant, cum in sequentibus facipissime ad eos prouocandum sit, & vulgo non nisi tres, per mortem nimirum, feloniam & resutationem allegari soleant, quibus alios tres addidi, licet non adeo frequentes sint, ac quidem caeteri. Si cui videatur, superesse adhuc casus aperturae, a me tamen praetermissos, nimirum 1) cum, in quo apertura fit per rei feu-dalis deteriorationem; 2) cum, in quo fit per vim, qua vasallo feudum eripitur; is, me primum sub feloniam comprehendere, & posteriorem pro aperturae casu non agnoscere sciat.

ca-



C A P V T . II.

DE

REQVISITIS AD SVCCSSIONEM EXSPE-
TATIVARIORVM IN FEVDVM APERTVM
NECESSARIIS.

§. XVIII.

*Vt exspectatiuarius ad successionem in feudum admitta- Thema bu-
tur, hoc vnicum non sufficit, feudum factum esse ius capit is
apertum, sed potius plura requisita coniunctim adesse de- determina-
bent, quae redeunt in genere ad sequentia:*

- I. *Casum aperturae talem esse, in quo exspectatiuarius ad successionem admittendus;*
- II. *exspectatiuam esse validam;*
- III. *in concursu plurium exspectatiuariorum eum, qui succedere vult, reliquis esse praeservandum.*

De singulis his requisitis itaque speciatim agendum erit.

MEMBRVM I.

DE PRIMO REQVISITO AD SVCCSSIONEM
EXSPECTATIVARIORVM IN FEVDVM
APERTVM NECESSARIO.

§. XIX.

*Vt casus aperturae talis sit, in quo exspectatiuarius ad suc- Ad successio-
cessionem in feudum admittendus, requiritur, tam secun- nem exspe-
dum ius feudale naturale, quam secundum ius feudale posi- ctatiuario-
tium feudum esse 1) domino apertum factum. Nisi enim rum requi-
feudum domino apertum factum sit, dominus illud alteri- ritur feu-
iterum concedere nequit (§. 7.). At enim uero, vt exspectatiuarius dum esse
in feudum succedere possit, feudum ita apertum factum esse, vt dominus illud alteri iterum concedere pos- apertum fa-
tum 1) do-
minio..*

sit,

sit, feudum ita apertum factum esse, ut dominus illud alteri iterum concedere possit, necesse esse, ex natura & in-dole exspectatiuae per se patet. Hincque vera est propo-sitio demonstranda quoad ius naturae. Sed & eandem veram esse quoad ius positivum, satis eniicit textus II. Feud. 24. ibi: *cum feendum DOMINO, aut heredi suo fuerit apertum.*

Cum iam ex superioribus (§. 12. seqq.) constet, in quibus ca-sibus feendum domino aperiatur. in quibus vero non; nolo qui-dem repeter hic omnes casus, in quibus feendum domino aperia-tur, ast tamen alia quaedam hue facientia sunt addenda.

§. XX.

Si dominus post iam concessam exspectatiuam ita de-feundo disponit, ut per eam dispositionem casus aperturae do-mino factae, qui, nisi talis dispositio facta, existeret, ab existentia reprimatur, secundum ius naturae quidem talis dispositio etenus valere nequit, ut exspectatiuarius, si casus exigit, quo, nisi talis dispositio facta esset, feendum domino esset apertum factum, a successione excludatur: ast secun-dum positivum etiam etenus valet, ut exspectatiuarius a successione tum excludatur, si eius, in cuius favorem haec dispositio facta, quique excludere vult exspectatiuariu[m] a successione, ius reale est. Conditio enim sub qua feendum in exspectatiuae concessione promittitur, est conditio, quae ex parte potestatiua, ex parte vero casualis est, sic-que mixta conditio est, & quidem, quatenus potestatiua est, ex parte domini, sicque ex parte promissoris potestatiua est. At enim uero, licet secundum ius naturae promissa-rius promissorem adigere nequeat, ut conditionem ex sua parte adimpleat (L. B. de WOLFF *Ius Nat. P. 3. §. 522.*), promissor tamen in hoc casu efficere non debet, ne exstet

con.

conditio (l.c. §.523.) ; hincque domini dispositio , post iam concessam exspectatiuam facta , per quam casus aperturae , qui , ea non facta , existeret , ab existentia reprimitur , cum per eam efficiatur , ne exstet conditio , iuri naturali contraria est , & per consequens exspectatiarius per eam a successione secundum ius naturae excludi nequit ,

Ast secundum ius positivum res aliter se habet . Quid enim sub data hypothesi iustum sit , ius positivum feudale nullibi definit , sive hic ad ius positivum allodial est recurrendum , secundum quod , & quidem secundum ius Romanum , obtinet vi l.15. C de R.V. principium per abstractionem formatum : quoties in acquisitione iuris realis duo pleuresue concurrunt , quorum unus nonnisi ius personale ad acquisitionem iuris realis habet , alter vero ipso iure reali iam est instrutus , hic , licet tempore sit posterior , nec tamen in dolosit , priori est praeferendus . At enim iero exspectatiuae confessio concernit acquisitionem dominii utilis feudi , sive que iuris realis acquisitionem , & tamen exspectatiarius , exspectatiua concessa , licet etiam exspectatiua sit inuestitura confirmata , non nisi ius personale habet ad acquisitionem iuris realis , & in nullo casu dominium utile ipsi iam actu competit , hincque , si sub data hypothesi ius eius , qui excludere vult exspectatiuarium , reale est , per eum secundum ius positivum omnino exspectatiarius a successione excluditur .

Reste itaque philosophatur Dn. LANGEMACK in dem allgemeinen Lehrerecht aus philosophischen Gründen erwiesen , §.31. dum ait : „ Wenn wir jemand eine Exspectanz auf ein Lehnsgut ertheilen , so versprechen wir demselben dadurch , dass er das niedere Eigenthum an solchem erhalten solle , sobald das Recht des jetzt-

„ietzigen Besitzers aufhören würde vnd so bald es wegen gesche-
 „hener Vereinigung des niedern und obern Eigenthums uns
 „möglich sein würde, dasz wir ihm solches zu Lehn übergeben
 „können. Da hier nun ein Recht des Vasallen und ietzigen Be-
 „sitzers benannt wird, welches erst zu Ende gehen sollte; können
 „wir wohl darunter ein Recht verstehen, welches derselbe künf-
 „tig erst an dem Gute erhalten würde, und welches wir dem
 „selben an der Lehnssache nach Belieben ertheilen könnten? Sol-
 „ches ist ietzt nicht ein Recht desselben. Würde uns auf die Art
 „nicht allemal ein Recht vorbehalten sein, die Hoffnung der an-
 „deren zu betrügen und den Vertrag nichtig zu machen? Wür-
 „de es uns nicht frey stehen, dem ietzigen Besitzer sein Recht
 „durch Verträge zu verlängern und demselben bis ins Unendliche
 „ein Recht abzutreten? Wir versprächen iemanden etwas uner-
 „der Bedingung, wenn aus diesem oder jenen lächerlichen Ge-
 „fasse, das eingeschüttete Wasser würde abgelauffen seyn; wir
 „machten aber nachgehens die Erklärung, dasz wir unter dem
 „Wort Wasser nicht ins besondere, das ietzt hereingeschüttete,
 „sondern überhaupt Wasser verstanden hätten, und wollten nach
 „Danaiden Art das Gefas beständig wieder anfüllen, um das
 „Versprechen niemals halten zu dürfen, würde diese Schicane
 „nicht wol mehr lächerlich seyn als iene? Es wird also natürlí-
 „cherweise blos dasienige Recht darunter verstanden, welches
 „ietzt der Vasal am Leingute besitzet, und wir ertheilen also
 „iemanden ein Recht, indem wir uns dieses Ausdrucks bedienen,
 „so bald das gegenwärtige Recht des ietzigen Besitzers nach sei-
 „nem vollen Maasse würde zu Ende seyn, ohne dasz derselbe zu
 „solchem irgend einen Zufatz sollte bekommen haben.“ Ast
haec philosophia perdit suam vim, si secundum ius positivum,
quid iustum sit, definiendum, prout ex data demonstratione pa-
ret. Licet enim demonstrationis rota vis consistat in principio ge-
nerali ex l. 15. C. de R. V. per abstractionem formato, inde tamen
robori eius nihil decedit. Existimat quidem ROMANVS in
Conf. 70. hanc legem in feudis locum non habere, nullum tamen
video huius sententiae fundamentum. Porro videtur quidem po-
tius ex principiis Iur. Can. in quo constitutum, eum, cui prius
beneficium concessum fuit, praferendum esse illi, qui secundo
sed

loco impetravit, quamvis hic possessionem nactus fuerit c. 12. de
Rescriptis in obo c. 17. de praebendis cod. hic argumentandum esse,
cum non solum Iur. Can. prae Iure Rom. competat praerogativa,
sed etiam feuda cum beneficiis ecclesiasticis magnam habeant co-
gnationem: ast tamen nec hoc admitti potest. Plures enim, qui-
bus vnum beneficium concessum diuerso tempore, iura aequa-
lia habent, nec vnius est personale, alterius reale, sive casus
de beneficiis maxime dissimilis casui de quo hic agitur, in quo
vnuus tantum ius personale haberet, alter vero reale. Quodsi vero
adesset textus Iur. Canon. ex quibus per abstractionem formari
posset principium generale, in collisione iurium, ius prioris sem-
per praeferendum esse, licet posterioris ius sit reale, tum omni-
no aliter determinandum esset, quid sub data hypothesi in pro-
positione demonstrata iustum sit. Licet tandem prouocare quis
vellet ad regulam iuris: qui prior tempore potior iure: notum
tamen est, hanc regulam vim suam perdere, si ius posterioris
est fortius.

§. XXI.

Ex hoc principio generali fluit prono altroe sequens & corrola-
propositio: *Si contingit circa feudum exspectantia promis- viis
sum mutatio, quae efficeret feudum domino aperiri, nisi post
iuri concessam exspectatiuam talis dispositio facta, quae
aperturae casum ab existentia reprimit, tum quando adeat,
qui iam eo tempore dominium stile feudi actu habet, secun-
dum ius posituum exspectatiuarius non succedit.*

§. XXII.

Hinc porro inferre licet, secundum ius posituum: *illustratur,*

- I) *Si exspectativa in casum mortis concessa, & moritur
iam ultimus possessor sine legitimis successoribus feudalibus,
tum tamen, quando adjungit simultanea inuestitu-
sue post concessionem exspectatiuae simultaneam inuestitu-*

C

ram

ram impetraverint, exspectatiuarium non succedere : Conf. BRUNNEMANN Conf. 2C.

II) Si feudo post exspectatiuae concessionem alienato contingit tale quid, quod, si feudum alienatum non esset, efficeret, illud domino aperiri, exspectatiuarium non succedere, nec posse eum a possessore feudum reuocare.

§. XXIII.

2) simpliciter;

Vt casus aperturae talis sit, in quo exspectatiuarius in feudum succedere potest, requiritur in dubio tam secundum naturale, quam secundum ius posituum, feendum apertum domino II) simpliciter apertum factum esse. In dubio enim sequendum esse id, quod ordinarium est, secundum verumque ius valet. Ordinarium vero esse, dominum exspectatiuam concedentem supponere casum aperturae, quo ei feudum simpliciter aperitur, dubio caret.

Licit nullam videam rationem, cur dominus non possit exspectatiuam etiam ita concedere; vt, liceret feudum ei tantum ad tempus aperiatur, tamen exspectatiuarius succedere debeat, cum tamen per temporis tractum, per quod feendum apertum est, civi frui possit exspectatiuarius & nullius ius co laedatur; id tamen in dubio non praesumendum esse vltro largior.

§. XXIV.

3) per causam efficientem, ad successionem admittendus, continet, quae;

Vt casus aperturae talis sit, in quo exspectatiuarius ad successionem admittendus, requiritur, tam secundum ius naturale quam secundum ius posituum III) causam efficientem aperturae esse tales, quam exspectatiua sibi se continet. Id quod per se patet.

Cum dentur variae caussae efficientes aperturae, in applicatio ne huius requiriti ad casus obuenientes multum interest, quomodo caussae

caussae efficientis aperturæ in exspectatiuae concessione mentio facta, siquidem eius mentio facta est, cum fieri possit, nihil de ea dictum esse. Operac itaque pretium erit, hoc requisitum ultius euolui.

§. XXV.

Tam secundum ius naturae, quam secundum ius positivum, si in exspectatiuae concessione nulla certa caussa efficiens aperturæ expressa est, quae existit, perinde est. Si vero certa quedam caussa efficiens aperturæ expressa est, quando feudum aperitur quidem, sed non per expressam in exspectatiuae concessione caussam efficientem, exspectatiuarius in feudum non succedit, ita, ut nec admittendus sit, et si ex post existat, quod esset caussa efficiens aperturæ in exspectatiuae concessione expressa, nisi iam antea feudum apertum factum esset. In priori casu enim semper existit caussa efficiens aperturæ, sub exspectatiua comprehensa, si modo una caussarum efficientium aperturæ existat. In posteriori casu vero ea non existit, nec ideo ad existentiam venit, quoniam ex post existit, quod esset caussa efficiens aperturæ in exspectatiuae concessione expressa, nisi iam antea apertum factum esset feudum, cum feudum per unam caussarum efficientium aperturæ semel apertum factum, per alteram ex post aperiri nequeat. Hincque patet, secundum ius naturae veram esse propositionem demonstrandam. Secundum ius positivum vero idem valere arg. c. 6. de Rescriptis in 6to & silentium legum positivarum euincunt.

Quando
praccise cer-
ta quedam
esse debeat,
quando ve-
ro non.

§. XXVI.

Hinc fluit, quod *si in exspectatiuae concessione mors & quid, si pro caussa efficiente posita & contingat per feloniam vel re-certa qua-*

C 2

futa.

*dam requiri-
ritur, pro
futationem feudum aperiri, exspectatiuarium non succedere,
licet ex post determinatus mortis casus existat, tam secun-
dum ius naturae, quam posituum.*

Et ita communiter DD. sentire satis notum est, licet sint, qui dissentient. Vid. STRVII Synt. Iur. feud. cap. VII. §. 5. num. 7. & 8. ibique alleg. Cum vero STRVIVS cum iis, quos tanquam consentientes laudat, nondum omnia, quae hoc pertinent, exhausterint, meum erit ad magis specialiora, praemissio principio generali, descendere.

§. XXVII.

casuum di-
*Si contingit, feudum, exspectantia in casum mortis
promissum, aperiri domino per feloniam, hunc vero feloniae
poenam remittere, & tam per mortem ex post ei aperiri feu-
dum illud, exspectatiarius, tam secundum ius naturae,
quam etiam secundum ius posituum ad successionem est ad-
mittendus. Quoniam enim sub hac hypothesi post remis-
sionem feloniae feudum non amplius apertum est, per
mortem, tanquam caussam efficientem, aperitur feudum,
sicque conditio in forma specifica impleta est, & adeo
caussa aperturae in exspectatiuae concessione expressa,
hinc exspectatiuarium sub data hypothesi ad successionem
admittendum esse secundum ius naturae, & etiam, cum
fileant leges positivae secundum ius posituum, dubio
caret.*

§. XXVIII.

veritate iu-
*Si contingat, sub hypothesi §. praeced. feudum aperiri
per refutationem, ast exspectatiarius probare posset, per col-
lisionem domini cum vasallo possessore, illum, mediante re-
futatione, dolose impedire voluisse, ne per mortem aperia-
tur feudum, casu mortis existente exspectatiarius succedit,*
tam

tam secundum ius naturae, quam secundum ius posituum.
Secundum utrumque ius enim, dolus nemini debet patrocinari.

§. XXIX.

Si in exspectatinæ concessione expressa est certa causa^{sum est.} adiecta determinatio-
nates individuales, quoad successionem exspectati-
uarii, perinde est, sub quibus circumstantiis expressa causa
aperturae existat. Si vero adiectae sunt determinationes in-
dividuales, cum omnibus iis causam aperturae expressam ex-
istere necesse est, in quo ius naturae & posituum conspi-
rant. In priori enim casu iam tum existit aperturae causa-
sa, sub qua feudum promissum, si modo adiecta causa
existat, sive sub his, sive sub aliis circumstantiis existat. In
posteriori casu vero non existit, nisi omnes determinatio-
nates individuales simul existant. Et, prout ex ipso demon-
strandi modo patet, secundum ius naturae veram esse pro-
positionem demonstrandam: ita ex silentio legum positi-
uarum, nihil de hoc casu disponentium, pater, eam etiam
secundum ius posituum veram esse.

Sic e. g. si pro causa aperturae generaliter posita mors vasalli sine liberis, sive hic, sive ille vasallus sine liberis moriatur, modo per morem feudum aperiatur, perinde est. Si vero causa haec aperturae adiectas haber determinationes individuales, veluti si Titius, si praesens vasallus, sine liberis moritur, præcise Titium, seu praesentem vasallum sine liberis mori, & per eius mortem feudum aperiiri, necesse est. Casum, quae dicta sunt, illustrantem, vide apud FABRVM in der Staats-Canzley P. XIII. p. 464. seqq.

§. XXX.

Ut causus aperturae talis sit, in quo exspectatiarius ad d. ipsum
successionem admitterendus, requiritur, tam secundum ius na-
ture, quod aperi-

tur, sub exturae, qnam secundum ius posituum, IV) tale feudum aper-
spectatiua tum factum esse, quod exspectatiua sub se continet. Id quod
esse compre- per se patet.
hensam.

§. XXXI.

Si itaque exspectatiua ad certum feudum directa, il-
lud praeceps feudum aperiri, necesse est, ut exspectatiuarius
ad successionem admittatur. Si vero ad certum feudum non
directa est, unum ex feudis eius, qui exspectatiuam concessit,
aperiri, sufficit.

Et haec sufficient de primo requisito ad successionem exspecta-
tiuariorum in feudum apertum necessario. Progredior iam ad se-
cundum requisitum.

MEMBRVM II.

DE SECUNDO REQVISITO AD SVCCESIONEM
EXSPECTATIVARORVM IN FEVDVM APER-
TVM NECESSARIO.

§. XXXII.

Thema bu-
tius membra
determina-
tur.

Quod secundo loco supra (§. 18.) posui requisitum, ad
successionem de qua loquor necessarium; est, exspe-
ctatiuam esse validam. Ut vero hoc requisitum adesse dici
possit, requiritur: 1) exspectatiuam ab initio esse valide
concessam, & 2) tempore eo, quo exspectatiuarius vi eius suc-
cedere vult, eam nondum esse extinctam. Quae cum ita sint,
latissimus mihi aperitur campus, dum huius secundi requi-
siti explicationem aggredior. Ast, ne trita & vulgaria, ab
aliisque vel centies dicta, hic repetam, quaedam delibare,
quam omnia quae huc pertinent, exhaustire malo. Sic
itaque, quod validam exspectatiuae concessionem attinet,
tantum, quid hodie iustum sit circa concessionem exspecta-
tiuae in feuda imperii maiora, hic euoluere placet, licet
doleam,

doleam, quod mihi non ad manus sit. Dissert. de limitata
imperatori potestate in concedendis exspectatiis in feuda im-
perii maiora, quae Argentorati 1750. auctore Ioan. Godofr.
EIGLERO prodiit. Quod vero attinet alterum thema,
tantum nonnullos casus extinctae exspectatiuae feudalitatis
sub examen vocabo.

§. XXXIII.

Si Imperator hodie exspectatiuum in feuda imperii ma-
iora valide concedere vult, requiritur, si feudum est Electorat-
tus, collegii electoralis consensus, si vero principatus, comita-
tus seu dynastia est, etiam collegii principum consensus acce-
dere debet. Sanctum enim est in Cap. Nov. Art. XI. §. 10. Requisita,
hodie ad va-
lidam exspe-
ctatiuum in
feuda impe-
rii maiora,
necessaria
determinan-
tur.
„Wann auch inskünftige Lehen den Reich durch Todes
„Fälle oder Verwürckung eröffnet und ledig heimsfallen
„werden, so etwas merckliches erragen, als Churfürsten-
„thümer, Fürstenthümer, Graffschäften, Herrschaften und
„dergleichen, die sollen und wollen wir, die Churfürsten-
„thümer, ohne des Churfürstlichen Collegii, die Fürsten-
„thümer, Graff und Herrschaften, Städte und dergleichen
„aber, ohne des Churfürstlichen, Fürstlichen, auch (wenn
„es nemlich eine Reichs Stadt betreffen thut) Städtischer
„collegiorum consens ferner niemand leihen, auch nieman-
„den einige Exspectanz oder Anwartung darauf geben.“
Haec expressa legis verba satis euincunt propositionem
demonstrandam, dum verba: *so etiam merckliches erragen,*
satis euincant, hunc textum loqui tantum de feudis impe-
rii maioribus, & reliquas propositionis demonstrandae par-
tes ipsa textus verba contineant.

Quod attinet consensum collegii ciuitatenis, eius in ipsa propo-
sitione nullam feci mentionem, licet in modo excitatis capitulationis
verbis, & eum nonnunquam requiri, dicatur. Ast salua res est.
Textus enim loquitur tam de reinfeudatione, quam de exspectati-

ua, & licet de ciuitatibus, quippe quae feuda non sunt, nec reinfudatio, nec exspectativa praedicari possit, sive non satis pateat, quo sensu hic, quae de ciuitatibus imperialibus dicuntur, accipienda sint: tamen, si quod meum est iudicium, quae de ciuitatibus imperialibus dicuntur, ad exspectativas plane applicari nequeunt, sed potius de prima infeudatione accipienda sunt, vt sensus hic sit: quod, si ciuitas imperialis de novo infundanda, id fieri debeat cum consensu ciuitatum imperialium, quae est Ill. MOSERTI in der Einleitung zum Reichs-Hofraths-Proces P. 3. Cap. 2. §. 11. de horum verborum sensu, sententia. Licet enim nec haec interpretatio cum legum verbis satis conueniat, inde tamen defendenda, quod verba alium sensum habere nequeant. Tentau quidem saepius, an non, praesertim ope actionum publicorum, aliis sensus erui possit, ast haec tenus frustra. Parum tamen abfuit, quin in eam inciderim sententiam, ea, quae de ciuitatibus imperii dicuntur, intelligenda esse de feudis, quae ciuitates imperiales ab imperio habent. Ast cum in textu inter ipsas res, de quarum collatione loquitur, non feuda ciuitatum, sed potius ipsae ciuitates (Städte und dergleichen aber) enumerentur, nec haec interpretatio carer suis difficultatibus. Ill. MOSERTI interpretationem itaque meam facere, quam nouam, nullius auctoritate flipatus, defendere malui.

§. XXXIV.

*De prae-scientia co-
rum, qui con-sentire
debent, si
Imperator
exspectati-
um in feu-
da imperii
maiora con-
cedit.*

Si adeat eorum consensus qui secundum §. praec. con-sentire debent, exspectativa ab Imperatore in feuda imperii maiora data, valida est, siue consensus praecedat ipsam con-cessionem, siue eam subsequatur. Capitulatio enim requiri-t tantum in genere consensum, cum itaque tam antece-dens, quam subsequens consensus, seu ratihabito, sit con-sensus, praetereaque regula interpretandi notissima sit: verba generaliter posita, generaliter etiam esse accipienda, veritas propositionis demonstrandae in aprico iacet.

Non me fugit quidem defendere alios, praecise consensum antecedentem requiri, eosque ratihabitionem excludere, ideo, quo-niam in textu, ex quo demonstratio desumpta, expressis verbis dici-tur:

tur: *Vorwissen vnd Consens*, vocem *Vorwissen* vero denotare praescientiam. Ait primo nego & pernego vocabulum Vorwissen denotare praeceps praescientiam, cum potius, si verba Vorwissen vnd consens non pro Synonimis habenda sint; attamen non nisi eatus differant, quarenus differunt, scire & consentire. Tertie enim communi loquendi vsu, non solemus semper tam accurate loqui, vt praeceps per prefixum *Vor*, speciem scientiae (des Wissens) quae praescientia est, et stricte sub voce Vorwissen venit, intelligamus, sed potius, si haec est loquentis mens, dici solet, vorhergehender consens, seu Einwilligung. Secundo, si etiam vocabulum Vorwissen hic in strictissimo suo significatu denotaret praescientiam, tamen non praeceps ad validitatem exspectatiuae requiritur, eorum qui consentire debent, consensus praecedens, si modo ratihabitio subsequatur. Si enim eo, cuius praescientia requiritur, inscio exspectatiua concessa est, is vero ex post consentit, sive ratihabet eam, per hanc ratihabitionem vitium purgatur et actus fit retro validus, dum per ratihabitionem, quae sequitur, fit simul tacita renunciatio iuris, quod praeceps debuisset consentiens id, in quo consentit. Recte itaque MOSERVUS l. c. §. 12. et MASCOVIVS l. c. in Diss. de exspectatiuis in seudis imperii §. 31. ratihabitionem hic sufficere, existimant.

§. XXXV.

Conclusum dicitur *collegiale* (Collegial-Schluss) si formatum per vota membrorum collegii congregatorum. Econtra vero *conclusum* dicitur *extracollegeriale* (Extracollegerial-Schluss) si formatum per vota membrorum collegii non congregatorum, sed seorsim votantium. Ut itaque *consensus collegialis* (Collegial Bewilligung) sit, qui per conclusum collegiale declaratur: *consensus extracollegerialis* (Extracollegerial Bewilligung) vero, qui per conclusum collegii extracollegeriale declaratur. Negari tamen nequit, conclusum collegiale etiam idem esse ac conclusum collegii, id est, a collegio quadam formatum, sive collegiali-

*Conclusio
collegialis
& extracollegerialis, vt
consensus collegialis &
extracollegerialis definitio.*

D

ter

ter, siue extracollegialiter formatum sit; & per consensum collegialem etiam intelligi posse conclusum collegii per vnamnia formatum. Vnde in interpretatione, quoties hi termini occurunt, ex contextu definiendum est, in quo sensu iis sit usus verborum auctor. Ego vero in sequentibus cum his terminis priores coniungo notiones.

§. XXXVI.

An consen-
sus in expe-
sensu, exspectativa ab Imperatore in feuda imperii maiora
statuam in concessa valida est, siue consensus eorum sit collegialis, siue
feuda impe-
rii maiora,
debeat esse
collegialis.
Si adest eorum, qui iuxta §.33. consentire debent, con-
sensus in expe-
sensu, exspectativa ab Imperatore in feuda imperii maiora
statuam in concessa valida est, siue consensus eorum sit collegialis, siue
feuda impe-
rii maiora,
Nov. quae requirit consensum, non distinguit inter con-
sensum collegiale, & extracollegiale, sivecum lege
non distinguente, nec nostrum sit distinguere, si consensus
adest, perinde est, siue sit collegialis, siue extracollegialis
consensus.

Est quidem KLOCKIVS *de contributionibus c. 6. n. 128. seqq.* in ea haereti, quod semper consensus collegii debeat esse collegialis, dum I.c. inquit: „probe notandum est, de iure actus vniuersitatis vel collegiorum non aliter valere, quam si collegialiter peragantur, nec sufficit, si postmodum separatim vel particulariter consensus superueniat. Adeo ut non sufficiat ratificatio, cum a principio nullum sit, nisi illa sit collegialiter.“ Quae thesis, si vera esset, fecerit lex non nisi generatim consensum requirat, eum tamen collegiale esse debere, nec ego negare auderem. Ast, prout KLOCKIVS non probauit hanc thesin, ita nec probari potest, sed potius generatim dicendum est: si adest consensus collegii seu vniuersitatis, actus eorum valer, sive is si collegialis, sive extracollegialis, nisi lex consensum collegiale pro forma requirat. Ad solennitates & formalia enim pertiner, a collegio aliquid collegialiter fieri. Hinc etiam in aliis iphis Copitulationis locis collegialis consensus expressis verbis requiritur, veluti *Art. 8. §. 2. Art. 11. §. 19.*

§. XXXVII.

§. XXXVII.

His ex doctrina de valida exspectatiuae concessione delibatis, quedam etiam ex doctrina de modis, quibus exspectatiua extinguitur, delibare placet. Operae preventiū enim esse iudico, inquire: 1) *An facta feudi alienatione, illico extinguitur exspectatiua?* 2) *An, si feudum aperitur simultanee inuestitis vel ex pacto successorio succedentibus, exspectatiua pro extincti habenda sit?* 3) *An exspectatiarius in concursu cum aliis semel exclusus, semper exclusus sit?* 4) *An, si contingit quidem, feudum domino simpliciter apertum factum esse, ast non per eam aperturae causam efficientem, quae in exspectatiuae concessione expressa est, exspectatiua adhuc subsistat?* Sunt enim hae quaestiones in utramque partem disputabiles, & dissentient etiam in iis decidendis DD. Cum vero ex unico principio fluat responsio ad eas, praemitto hoc principio, responsio addenda.

§. XXXVIII.

Quoties contingit feudum exspectantia promissum in eum statum venire, ut casum aperturae talem, in quo exspectatiua suus succedere potest, existere impossibile sit, toties exspectatiua extinguitur. Ast licet alia quedam mutatio contingat, quae tamen etiam effectum non producit, exspectatiua non extinguitur. Tum enim in priori casu conditio numquam existit, sive totum negotium a conditione dependens resolutur. Quod cum in posteriori casu non contingat, nec in eo exspectatiua extinguitur.

§. XXXIX.

Ex posteriore propositionis parte fluit:

- I. *Si feudum alienatur, exspectatiua non illico extingui.* Tres priores Notum est DD. in eo inter se non conuenire. an, si feudum alienatur, exspectatiuario competit ius alienationi se opponendi & resoluuntur.

feudum reuocandi. Alii, & quidem plerique, simpliciter affir-
mant, feudum sine consensu exspectatiuari posse alienari, & per
consequens exspectatiario nec alienationem impediendi, nec etiam
feudum alienatum reuocandi ius tribuunt. Alii simpliciter negant
hoc, veluti MOSERVS in der Anleitung zum Reichs-Hoffraths-Pro-
cess P. 3. cap. 2. §. 51. Alii vero tanrum in eo casu affirmanti respon-
sioni subscripti, si exspectatiua inuestitura confirmata est, veluti
HORN in Access. ad Jurispr. Feud. a Hannacio editis c. 12. §. 17.
BECK de consensu feudali §. 27 seqq. BRUNNEMANNVS Cent. 3. De-
cisi. 3. BAVER de inuestitura feudali §. 51 seqq. Conf. Illustr. MOEL-
LERI Vsus practicus distinctionum feudalium cap. 12. Dis. 10. n. 4.
Licet vero sub eorum signis militem, qui sententiae affirmatiuae
simpliciter subscripti, ideo tamen exspectatiuam illico pro extin-
cta non habeo, quoniam feudum est alienatum, cum nihil
minus fieri possit, feudum adhuc domino simpliciter apertum fieri,
licet iam sit per alienationem in alios translatum.

II) *Licet feudum simultanee inuestitis vel ex pacto successo-
rio succendentibus aperiarur, iisque succedant, tamen ideo
exspectatiuam pro extinta non esse habendam.*

III) *Exspectatiuarii, qui in concursu exspectatiuariorum
plurium excluditur, exspectatiuam ideo non extingui,
licet haec exclusio efficiat exspectatiuarium diutius ex-
spectare debere.*

Quoad haec tria corollaria, obiecti quidem posse, in omnibus
his casibus exspectatiuam pro extinta habendam esse, quoniam,
licet in dictis casibus non impossibile sit, feudum aliquando do-
mino simpliciter aperiri, tamen apertura non fiat, dum feudum
adhuc penes primum acquirentem, aut eius legitimos successores
est. Ast respondeo, nec hoc requiri, ut exspectatiuarius in feu-
dum apertum succedere possit. Vid. infra (§. 47).

§. XL.

Ex priore propositionis §. 38. demonstratae parte ve-
ro sequitur, *exspectatiuam illico extingui, si feudum apertum* Responso ad
factum domino, per aliam aperturae causam efficientem, ac quartam.
ea est, quam exspectativa sub se comprehendit, nisi dominus
aperturae sibi factae renunciet. (§. 27).

MEMBRVM III.

DE TERTIO REQVISITO, AD SVCCESIONEM
EXSPECTATIVARIORVM IN FEVDVM APER-
TVM NECESSARIO.

§. XLI.

Tertium & ultimum requisitum, ad successionem exspe-
ctatiivariorum in feudum apertum, necessarium, iuxta
superiora (§. 18.) in eo consistit, quod exspectatiarius, qui
succedere vult, ab alio, cum quo concurrit, non excludatur.
Licet vero primo insuitu videatur nec hoc argumentum
specialem pertractionem mereri, cum doctrina de con-
cursu exspectatiivariorum, & quid circa eum iustum sit,
iam satis ab aliis excussa; vel ideo tamen quaedam de eo
hic monenda sunt, quoniam in omnibus communi senten-
tiae subscribere nequeo. Connexio.

§. XLII.

Concursus exspectatiivariorum tum existere dicitur, si Exspectati-
feudum ita apertum factum, ut adsint plures, qui ex di- uariorum
uersis exspectatiuis in illud succedendi ius habent. conclusus

Fieri potest plures adesse exspectatiuarios, qui succedendi ius quid sit?
habent in feudum apertum, nec tamen exspectatiivariorum con-
cursum existere, veluti si plures adsunt, quibus una eademque ex-
spectativa competit. Hinc patet cur definitioni inserta sit illa de-
terminatio: *ex diversis exspectatiuis.*

D 3

§. XLIII.

§. XLIII.

Regula generalis de exspectatiunculariorum concursu.

Si adeat concursus exspectatiunculariorum, secundum ius feudale naturale semper & in omni casu obtinet regula: qui prior tempore potior iure. Ast secundum ius feudale positum haec regula dupliciti admittit exceptionem, nimurum 1) si exspectatiua tempore posterior inuestitura eventuali confirmata est; 2) si utraque exspectatiua quidem nuda est, ast posterior exspectatiarius, postquam feudum iam apertum factum, cum eo inuestitus est. Secundum ius naturae enim in genere & simpliciter obtinet regula: qui prior tempore, potior iure, quidni itaque & hic obtineret?

Secundum ius positivum vero in concursu iurium, quorum vnum personale, alterum vero reale est, hoc vincit illud. At enim uero, cum concursus exspectatiunculariorum existat demum, si feudum iam apertum factum ita, ut exspectatiariis successio deferatur (§. 42.), sicque tum feudum domino simpliciter apertum sit (§. 23.), quo facto exspectatiarius, cuius exspectatiua inuestitura confirmata est, iam auctu dominium vtile feudi, hincque ius reale, habet, quo etiam gaudere incipit exspectatiarius, qui nudus quidem est, ast post iam apertum feudum primus inuestituram imperauit. Quae cum ita sint, non possunt non secundum ius positivum dictae exceptiones locum habere. Plures vero exceptions ex legibus positivis probari nequeunt, hincque in reliquis casibus obtinere id, quod iuri naturalis est, & per consequens, in iis tempore priorem exspectatiarium excludere posteriorem, dubio caret.

Quoad ius naturae consentiunt, qui secundum illud, quid hic iustum sit, definiterunt. Conf. LANGEMACK l. c. §. 35. Mascov de exspectatiis in feuda imperii §. 36. Ast quoad ius positivum non omnes consentiunt. Plerique distinguunt, an unus possideat, an vero

vero neuter possideat. In priori casu possessori victoriam pollicentur; licet tantum in possessorio, non vero in petitorio. In posteriori casu quidem in regula ad temporis prioritatem respiciendum esse iubent, ast tamen excipiunt non solum casum primum a me exceptum, sed & addunt aliam exceptionem, si nimurum viuis exspectatiua generalis, alterius vero specialis est. Tum enim speciali simPLICITER vincere genetalem defendant. Sed cum hic non loquar de viatore in possessorio, nec priorem distinctionem euro, minime sufficit, solam possessionem ad victoriam in petitorio non sufficere, nec eos negare, qui possessionis prius apprehensas rationem habent. Quod vero attinet exceptionem casus posterioris a me neglegtam, non possum non, quin de ea §. sequentem addam, ut appareat, me non sine sufficiente ratione a communi sententia recedere.

§. XLIV.

In concurso exspectatiuariorum eum, cuius exspectatiua specialis est, simplierer praferendum esse ei, cuius exspectatiua generalis est, falsissimum est. Secundum ius naturae ^{Casus quidam specialis} lis expenditur. Secundum ius positivum & in hoc casu enim simPLICITER obtinet regula: qui prior tempore potior iure est. Hinc, si secundum ius positivum & in hoc casu exceptio locum haberet, leges positivae adesse deberent, eam probantes. Tales itaque cum desint, dicta thesis falsissima est.

Mirari satis nequeo 'thesin, quam falsam esse defendeo', cuius quantum scio, auctor est HARTM. PISTOR. L.2. Q.29. tantum aplausum meruisse, ut communis DD. schola eam pro vera habeat, & nec STRYKII seu potius WILDVOGELII auctoritatem, qui in Diss. de concursu exspectatiue generalis & specialis eius falsitatem perspicue satis demonstravit, eam hancenus de fede sua iterum deficerre potuisse. Ego vero in STRYKII castra transeo, contentus argumentis, quibus l.c. vobis est, & contentus responsive ad leges, quae obstat uidentur, ibi obvia. Hoc vnicum tantum addo, eos, qui defendant regulam: qui prior tempore potior iure, etiam in concurso exspectatiuae specialis cum generali exceptionem admit-

admittere, non minus exceptionem admittere debere in eo casu, quo exspectativa determinata & indeterminata concurrunt, ita ut determinata semper indeterminata sit preferenda, licet hanc exceptionem silentio praeferre soleant.

§. XLV.

Connexio.

Absolutis tribus requisitis ad successionem exspectatiuariorum in feudum apertum necessariis (§. 18.), statim ad alia progredi possem, nisi non inutile fore iudicem, quaedam de nonnullis requisitis, quae necessaria esse vindentur, licet talia non sint, addi.

§. XLVI.

Duo falsa

Si adiunt requisita in tribus antecedentibus membris evoluta, exspectatiarius ad successionem est admittendus, licet, si etiam exspectativa inuestitura confirmata est, eius renouatio omessa sit. Cum haec thesis ab Ill. GEORGIO LUDOVICO BOEHMERO in commentatione iuris feudalis de inuestiture simulaneae eventualis non desiderata renouatione, eiusque impuni omissione satis euicta, & in libro singulari de indole & natura exspectativa & inuestiture feudalis & de huic renouatione vberius discussa, sive iam omnia exhausta sint, ad has doctas commentationes me remittendo, demonstrationem addere, supertacaneum esse iudico.

§. XLVII.

requisita re-
iiciuntur.

Si adiunt requisita in tribus antecedentibus membris evoluta, exspectatiarius in feodium aperrum succedit, licet apertura non contingat, dum feodium abhuc apud primum acquirentem eiusus successores feudales est, sed potius apertum fiat feodium, postquam iam alios perenit, veluti ad simultaneae inuestitus est devolutum, vel per alienationem in

in extraneam est translatum. Liceret enim exspectatiuae concessio sit strictae interpretationis, tamen dici & defendi nequit, eam esse restrictive intelligendam. At enim uero restrictiva potius, quam stricta interpretatio esset, si ita intelligenda, quod aperturae casus existere debat, dum feodium adhuc est penes primum acquirentem eiusue successores feudales, nec amplius vi eius succedi possit, si apertura contingit, dum feodium iam per alienationem aliquo modo ad alios peruenit. Quae cum ita sint, inde sequitur quod erat demonstrandum.

Liceret tot existent de exspectatiua feudalii sat doctae commendationes, haec tamen nullibi hanc questionem, quam hic decisam habes, motam & resolutam inuenire licet. Exinde tamen, quod plerunque DD. feudo alienato exspectatiuam pro extinta habeant, & non nisi actionem ad interesse exspectatiuari concedant, patet eos, ad minimum quoad alienationem, non admittere quod ego defendo, nimurum non requiri feodium ante alienationem apertum fieri, sed potius, si feodium exspectantia promissum alienatur, & post factam alienationem aperitur, modo adhuc tria requisita, ad successionem exspectatiuarii necessaria, exspectatiuarium tamen ad successionem esse admittendum. Sed nec deesse, qui & quoad alienationem mecum sentiant, patet ex praeiudicio in *LEYSERI* *Diss. de iniuritate & recto iuri exspectatiuarum* §. 50. obvio. Ceterum ideo non nego, dari casus, in quibus necesse est feodium aperiri ante alienationem, & in genere, dum adhuc penes primum acquirentem eiusue successores feudales est, veluti, si aperturae casus ita determinatus, quod existere debat, dum feodium adhuc penes hos est (§. 29). Ait cum in hoc casu exspectatiuarius ideo non succedat, quoniam *unum requisitorum* ad successionem necessariorum deficit, salua mea thesi hoc admittere possum.

C A P V T . III.

DE

IIS, QVI VI EXSPECTATIVAE SVCCE-
DVNT, ET QVO ORDINE SVCCEDANT.

§. XLVIII.

*Principium generale de successionis or-
dine.* Si vi exspectatiuae in feudum succeditur, ad successionem
veniunt is vel illi, qui tempore eo, quo casus successionis
iis qui succe- existit, exspectatiuam habent, nulla gradus aut lineae pro-
dunt & suc- ximitate, respectu ultimo defuncti vasalli, attenta. Cum
cessioni or- enim, si vi exspectatiuae succeditur, fundamentum totius
successionis sit ipsa exspectatiua, non vero aghatio, quod
eo tantum respiciendum sit, quis exspectatiuam habeat,
eo tempore, quo successionis casus existit, non vero ad
lineae & gradus proximitatem, respectu ultimo defuncti
vasalli, dubio caret.

Hic itaque idem obtinet, quod in successione simultanea inuesti-
torum in feudum obuenit, cum constet, quod, si ex iure simulta-
neae inuestiturae in feudum succeditur, nec gradus, nec lineae
proximitatis ratio habeatur. WERNER Obs. rad. P. 4. obs. 145.
MAYER S. I. F. Cap. 5. §. 14. n. 3. CARPL. Diff. Feud. VI. lib. 49. IDEM
P. 3. C. 29. D. 8. BERLICH P. 2. Cōnc. uſ. 53. n. 10. Nolim vero con-
fundas cum hac successione, de qua hic loquor, successionem in
ipsam exspectatiuam feudalem, de qua exſat DU. PRAESIDIS Diff.
de ſu. cōfōne in exspectatiuam feudalem. In ea enim omnino ad gra-
dus & lineae proximitatem, respectu ultimo defuncti exspectatiua-
rii, est respiciendum.

§. XLIX.

*Applicatio-
eins*

Si, existente casu successionis in feudum exspectantiū
promissum, unus adest, cui ſoli exspectatiua competit, is ſo-
lus succedit in feudum apertum. Si vero plures adiungit, pe-
nus

nes quos est exspectativa, hi omnes succedunt, & diuidunt inter se feudum, in qua divisione tanta feudi pars cuilibet est assignanda, quanta est sua rata exspectativae. Cum enim in successione exspectatiuariorum in feudum apertum exspectatio promissum, unicum successionis fundamentum sit exspectativa, & qui exspectativam habent tempore aperturae succedant (§. 48.), quod etiam eatenus succedere debeat, quatenus exspectativa penes eos est, sicque vera sit propositio demonstranda, dubio caret.

§. L.

Hinc fluit:

- I) Si tempore aperturae feudi primus acquirens exspectativae adhuc vivit, isque unus est, eum totum feudum acquirere, vel, si plures adjungunt primi acquirentes exspectativae, eos inter se feudum aequaliter diuidere:
- II) Si primus acquirens exspectativam iam mortuus est, isque reliquit successores in exspectativam, ii, in quos per successionem in exspectativam ea translata est, succedunt, & quidem pro rata exspectativae iis competitentis.

§. LI.

Si Titius, qui exspectativam acquisivit, moritur, relictis tribus filiis, Mevio, Caio, Sempronio, qui in exspectativam successerunt, tumque coniungit, his tribus filiis adhuc viuentibus, feudum ita aperiri, ut exspectatiuarii ad successionem sint admittendi, Meuius, Caius, & Sempronius aequis partibus succedunt. Si vero tempore aperturae Meuius iam est mortuus, relictis tribus filiis, Tullio, Antonio, Seio, Caius adhuc vivit, Sempronius autem itidem naturae debitum iam reddidit, superstite unico eius filio Lepido, tum,

vi exspectatiuae, tres Meuii filii, Tullius, Antonius, Seius, cum Caio adhuc viuente patruo suo & praemortui patrui Sempronii vnico filio Lepido, ad successionem in feudum apertum sunt admittendi, feudumque ipsum in tres partes est dividendum, quarum tres Meuii filii unam, Caius unam, & unicus Sempronii filius Lepidus unam accipit. Cum enim per principia de successione in exspectatiuam feudalem a Dn. PRAESIDE in Diff. cit. §. 28. stabilita, in primo casuum in ipsa propositione decitorum exspectatiua sit penes tres Meuii primi acquirentis filios, aequis partibus, in secundo vero per Caium adhuc viuentem, Meuii tres filii & Sempronii unicus filius a successione in exspectatiuam non excluduntur, sed tamen non nisi pro tertia parte, quae parentum erat, exspectatiua penes eos sit, casus, quos propositio demonstranda sistit, ita decidendos esse, prout sunt decisi, vi principii in §. 48. demonstrati, patet.

§. LII.

Quorsum in casum huius generis decisione vnice resipi- ciendum. Si casus, qui concernit successionem exspectatiuariorum, decidendus est, omnia eo redeunt, ut determinetur, penes quem, & pro quanta parte penes eum sit tempore aperturae exspectatiua. De eo enim si constet, vi (§. 49.) per se patet, quis, & quatenus quilibet eorum, succedat.

Ex hac breui, &, vt spero, perspicua theoria de iis exspectatiuaris, qui in feudum apertum succidunt & ordine successionis hic obseruando, per se patet, eos, qui defendunt, successionem exspectatiuariorum in feudum apertum fieri, si adsum plures primi acquirentis exspectatiuae nepotes, in stirpes & non in capita, a veritate non aberrare. Vid. STRV. *Syntagma Iur. Feud. cap. 7. Aph. 8. num. 3.* BERLICH *Concl. pract. P. 2. C. 54. n. 69. seqq.* Hoc vero quin moneam non possum non, non satis concinere quaeri: An plures nepotes primi exspectatiuarii in feudum apertum in capita, an vero

vero in stirpes succedant? cum porius ita querendum sit: An in successione in expectatiuam feudalem rum, si adsunt plures primi acquirentis nepotes, successio in stirpes, an vero in capita fiat? **Omnia enim hic dependent a successione in expectatiuam ipsam.** Caeterum theoria in hoc capite enucleata, facile extendi posse, ad magis specialia descendendo & plures casus singulares expendendo, id quod tamen non opus esse iudico, cum vi principiorum hic stabilitorum singuli casus facile decidi possint. Pertinet huc casus ille, quem sisit & ad quem vnicet directa est **THEOD. BERGERI** Diss. de *successione in feundum apertum exspectantia promissum*, qui concernit expectatiuam restrictam ad vitam primi acquirentis eiusque filiorum.

CAPUT IV.

DE IPSA SUCCESSIONE EXSPECTATIVA- RIORVM IN FEUDVM APERTVM.

§. LIII.

Ipsa successio exspectatiorum in feudum apertum absolu- **Thema hu-**
tuit acquisitione dominii utilis feudi & possessionis feudi, **iuris capitinis**
Quia ratione itaque utrumque fiat, hic paucis explican- determina-
dum erit.

§. LIV.

Dominium utile feudi exspectantia promissi, exspecta- **Quomodo si-**
tiarius qui iam eventualiter inuestitus est, eo momento, at acquisicio
quo feudum ita apertum fit, ut successio in illud vi exspe- **ctatio locum habeat, ipso iure acquirit. Ast exspectativa utilis feudi**
rius, qui nondum eventualiter inuestitus est, illud demum aperte;
per inuestitram, a domino faciendam, acquirere debet.
Exspectatiarius enim, qui iam eventualiter inuestitus est,
iam habuit ante aperturam feudi dominium utile conditio-
nale.

nale. Cum itaque eo momento, quo apertura dicto modo contingit, conditio, sub qua iam habet dominium utile, existat, quin eo momento dominium utile sine ullo novo facto interueniente, siveque ipso iure, acquirat, dubio caret.

Ast quod hoc secus se habeat, quoad exspectatiuariū nudum, inde statim per se patet, quod ei non competat ante aperturam dominium utile feudo aperto facto ad dominum, a quo mediante inuestitura demum in exspectatiuariū transferendum.

§. LV.

Si exspectatiuarius in feudum apertum succedens iam inuestitus est, sive per inuestituram, per quam exspectatiua fuit confirmata, sive per inuestituram, quam postquam feudum apertum factum est, impetravit, ast feudum ipsum nondum possidet, quando jeudi possessio vacua est, possessionem eius priuata auctoritate apprehendere potest, quod secus, si non est vacua. Si vero nondum inuestitus est, sive feudi possessio sit vacua, sive non, possessionem priuata auctoritate apprehendere non licet ei, nisi haec facultas ei expresse concessa sit, vel videat, se de iure suo periclitari, nisi possessionem apprehendat, tum enim, si possessio vacua est, eam priuata auctoritate apprehendare potest. Exspectatiuarius enim, qui iam inuestitus est, tum, quando in feudum succedit, iam gaudet iure possidendi, quo adhuc destitutus est, qui nondum est inuestitus, id quod ex dominii utilis & inuestituae definitione statim patet. At enim, cui ius possidendi jam competit, ei licet semper possessionem apprehendere, si vacua est, neutquam vero, si non est vacua, cum e contra, qui iure possidendi destitutus, numquam possessionem

nem apprehendere possit, nisi in casu, quo, si vacua est possessio, facultas haec ab eo, a quo possessio petenda, expressa concessa est, vel videat, se de iure suo periclitari, nisi possessionem apprehendar, cum in hoc ultimo casu necessitatis fauor excusat apprehendentem.

Sunt, qui simpliciter cuilibet exspectatiario, sive modo possessio vacua, concedunt facultatem propria auctoritate feudi vacui possessionem apprehendendi, veluti WERNHER T.3. P. 4. Obs. 40. TITIVS Teutonicus Lebu-Recht Cap. 13. §. 19. aliique. Plerique tamen distinguunt ita, prout ego distinguo, & sic bene distinguentes, bene docent. Quod in specie attinet exceptionem secundam in casu, quo exspectatiarius nondum inuestitus est, a me admittam, quod nimurum & tum apprehensio ab eo fieri possit, si adegit periculum iuris amittendi, eius auctor est HILLIGER in Diss. de vasallo propria auctoritate contra dominum feudi sibi ius dicente §. 14. eamque pro fatis fundata habeo. Et vi huius exceptionis recte defenditur, statibus imperii semper sicere, feudi possessionem, si vacua est, priuata auctoritate apprehendere. Conf. MASCOV de exspectatiis in feuda imperii §. 42. MOSEI I.c. Cap. 2. §. 52.

§. LVI.

Licet exspectatiarius nudus, in casu quodam secundum An exspectatio f. praeced. excepto, feudi vacui possessionem propriam auctoritati nuditate apprehenderit, tamen post factam apprehensionem adire debet, licet debet dominum, & ab eo inuestituram petere, quae inuestitura accedere debet, ut ipsa successio absolutatur, nec repetita, sed prima inuestitura est. Per apprehensionem possessionis enim non simul acquiri dominium vtile, per se patet. At enim uero cum per hypothesin exspectatiarius nudus supponatur, isque non iam habeat dominium vtile, id adhuc acquirendum est, quod in casu successionis non aliter, quam per inuestituram, fieri potest. Vnde simul etiam liquet, hanc inuestituram esse primam, & talern, quae cum successio

iam possideat, tamen inuestituram petere debet?

cessio ipsa nondum absoluta, nisi & dominium utile iam acquisitum (§. 53.), ad absoluendam successionem requiritur.

Duplici observatione haec propositio illustranda. Primo enim ex §. 54. facile patet, cur restricta sit ad exspectatiuarium nudum. Si enim inuestitura confirmata est exspectativa, ipso iure exspectatiarius sit dominus utilis (§. 54.), siveque talis inuestitura, de qua hic loquor, quae ad successionem absoluendam requiratur, ut accedat, nec necesse, nec possibile est. Interim tamen exspectatiarius, cuius exspectativa inuestitura confirmata, renunciationem inuestiturae petere debet, de qua demum Cap. seq. §. 60. agendum. Secundo videris ob textum *II. Feud. 33. pr. tum.*, si apprehensionis possessionis, ob facultatem a domino concessam, facta, iam eo ipso inuestitura eventuali factas esse, & sic non vniuersaliter vera esse propositio demonstrata. Dicitur enim in textu excitato, si dominus in praesencia parium curiae dixisset: *vade in possessionem*, id pro inuestitura haberi; unde fluere videtur, concessa feudi apprehensione a domino, eventualiter iam inuestitum esse exspectatiuarium cum feudo, cuius possessio est a prehensa. Ast, cum concessa in litteris exspectatiuae facultas feudi aperti possessionem apprehendi non inuoluat tamē actum, de quo loquitur hic textus, nec ideo pro iam inuestito habendus est exspectatiarius. Rechte igitur obseruat *III. PVFFENDORFFIUS in obs. iur. vniu. P. I. obs. 5. tum.*, si per litteras exspectatiuae facultas concessa feudi pro sine vacauri cuiuscunq[ue] pro lubitu possessionem apprehendendi, salua tamen exspectatiuaf electione, inuestitaram eventualem & traditionem eius feudi factam non esse, quod exspectatiuarus posse elegit. Idem vero dicendum esse puto, si exspectativa non quidem generalis est, de qua tantum loquitur *PVFFENDORFFIUS*, sed & si specialis est.

§. XVII.

Quidiuscum Si, existente casu successionis exspectatiuarii in feudum sit, si adeſt apertum, adeſt contradictor feudum possiens, is aut doqui negat minus feudi est, aut tertius. In priori casu si exspectatiuarii exspectativa inuestitura confirmata est, is, remedio-

§. LVII.

Si, existente casu successionis exspectatiuarii in feudum Quid ius nrum feudi est, aut tertius. In priori casu, si exspectatiuarii qui negat exspectativa inuestitura confirmata est, is, remedii seniori successio- bus frustra tentatis, quam remedii adipiscendae possessionis, nem⁹ quam etiam rei vindicatione uti potest, cum econtra, si ex- spectatiuarii exspectativa nuda est, non nisi personalis actio contra dominum ei competit. In posteriori casu, si exspe- ctiuarii exspectativa inuestitura confirmata est, itidem con- tra tertium tam remedii adipiscendae possessionis, quam rei vindicatione uti potest, quod secus, si nudus exspectatiuarius est, is enim dominum adire debet, qui tamen cedendo actiones liberatur, nec tenetur tertium expellere, & suis sumti- bus litem agere. Hac cessione vero facta nudus exspectatiua- riū, tam remedii adipiscendae possessionis, quam rei vin- dicatione uti potest. Satis nota sunt, nec hic demum de- monstranda, sequentia principia iuris: 1) qui dominium utile iam actu habet, eum posse etiam rei vindicatione uti, & qui iure possidendi instructus, ei competere reme- dia adipiscendae possessionis, idque in casu opposito secus se habere: 2) Exspectatiuarium nudum, licet feudum iam apertum factum sit, tamen dominio utile & iure possiden- di nondum gaudere, quod utrumque ius tamen exspectatiuarii iam eventualiter innescitus eo momento, quo feu- dum aperitur, acquirit: 3) Promissum cadere in debi- tum, ast tamen solam promissionem, non nisi actionem personalem producere: 4) Qui sentit commodum, penes eum etiam esse debere incommodum: 5) Si feudum do- minio simpliciter apertum factum, contra quemlibet, praes- ter exspectatiuarium, ei rei vindicationem & remedia adipi- scen-

F

pisce-

piscendae possessionis competere. Ex his principiis vero, quae quilibet me non praeceunte applicare potest, fluunt per se omnia propositionis demonstrandae membra.

Qui singula momenta hic obuenientia partim vterius euoluta, partim auctoritatibus DD. munita legere vult, euoluat, quoad facultatem in dictis casibus remedium possessoris & rei vindicatione vtiendi HILLIGERVVM l. c. §. 14 seqq. TITIVM l. c. §. 20. quoad ipsa remedia adipiscendae possessionis, quibus vi licet exspectatiario, HORNIUM in Jurispr. Feud. Cap. 12. §. 14. STRVIVM in Jmt. 3. ur. Feud. Cap. 8. Th. 10. n. 5. quoad ius domini, quod cedendo actiones liberetur, HARTMANN PISTOR. P. 2. Quaest. 25. n. 25. STRVV. l. c. C. 7. Th. 7. n. 4.

§. LVIII.

Intra quod tempus exspectativa- rius ius suum per- qui debeat.

Si feudum ita apertum factum, ut exspectatiario suc- cesso deferatur, is vero in persequendo iure suo negligens est, secundum ius feudale longobardicum, intra triginta annos adhuc petere potest feudum: nisi dominus eum admoneat, Et tum ter frustra admonitus non compareat, quo casu ius suum facta tripla admonitione amittit. Prima pars propo- sitionis regulam sistens inde probatur, quod praefcriptio feudalis requirat tempus triginta annorum, quodque idem tempus etiam requirat praefcriptio actionis personalis, in subsidium adhibito principio §. 57. demonstrato. Altera vero, exceptionem continens, evincitur per ipsa legis verba, dum Feudista II. Feud. 24. §. 1. est Et alia, ait, ingra- titudo noranda, si dominus in restringitam pollicendo vasalli fidelitatem petierit: Et illo non praefante, dominus tribus vicibus, conueniente tempore interposito, forte septem die- rum spatio, ad curiam suam super hoc reclamauerit: Et va- sillus tribus vicibus citatus a suis paribus iurare poluerit.

Putat

Putat quidem CASPAR BITSCHIVS in *Comment. ad consuet. feud.*
Lib. 2. Tit. 24. §. 1. excitatum textum iuris feudalium non loqui de rea-
 liter inuestito, nec de mere verbaliter inuestito, sed potius de abu-
 sive inuestito, ut itaque videatur eum ad quemlibet exspectatiuarium
 applicari non posse. Ait 1) BITSCHIVS argumenta euincunt
 quidem, cum non loqui de realiter inuestito, quod vero praeccise
 de abusive inuestito tantum intelligendus sit, excluso mere verbaliter
 inuestito, id quidem non satis probavit BITSCHIVS. 2) Si
 etiam, secundum verba ipsa, textus tantum de abusive inuestito in-
 telligendus esset, tamen ex rationis identitate, ad quemlibet non
 reliter inuestitum extendi deberet. Caeterum notandum, secun-
 dum ius feudale germanicum antiquum intra annum & diem exspe-
 ctiuarium, feudo aperto facto, ius suum vrgere debuisse, sub
 periculo illud amittendi, nisi probare potuerit aperturae factae
 ignorantiam. *Ius Feudale Saxonicum Cap. VII. §. vlt.* „Ob der
 „Main verschmehet das Lehn, das dem Herrn ledig wird, und
 „ihm das nicht zuziehet in Jahr und Tag, von dem ist der Herr
 „ledig: der Mann thue denn seine Unschuld dar.“ Cum quo con-
 sentit *Ius Feudale Alemannicum Cap. 15.* Conf. Illustr. BOEHMERI
Commentatio de simultaneae inuestiturae eventualis non desiderata re-
nouatione C. 3. §. 80.

CAPUT V.

DE

EFFECTV ABSOLVTAE PER SVCCES-
 NEM EXSPECTATIVARIORVM IN FEVDVM
 APERTVM ACQVISITIONIS FEVDI.

§. LIX.

Propritquam exspectatiarius per successionem vi exspecta-
 tiae feudum acquisiuit, varios absoluta acquisitione feu-
 di per successionem ex expectatiua producit effectus, quo-
 rum potiores hic allegandi & deducendi sunt. Exferunt

Thema hu-
 ius capitris
 determina-
 tur.

F 2

vero

vero se potiores hi effectus ratione 1) *renouationes inuestituras*; 2) *variarum praestationum pecuniariarum exspectatiario*, qui feudum acquisiuit, *incumbentium*; 3) *fructuum feudalium* & in genere separationis feudi ab allodio; 4) *obligationis ex factis antecessorem*, de quibus singulis sigillatim agendum.

§. LX.

Effectus ab-
solutae per tia promissum acquisiuit, in casu, quo exspectativa inuesti-
successionem tura fuit confirmata, intra annum & diem, a tempore, quo
ex exspecta- possestionem est nactus, inuestiturae renovationem petere de-
tina acquisi- bet. Tum enim facta est matatio in manu seruiente, ita
tionis feudi
i) ratione
renouationis
inuestitus.
ut nouis vasallus iam antea sit inuestitus. In hoc casu vero
quemlibet nouum vasallum, a tempore, quo possestionem
feudi nactus est, intra annum & diem renovationem in-
uestiturae petere debere, noto notius est.

Alia quaestio est: intra quod tempus feudo aperto facto expe-
ctatiarius ius suum persequi debeat? Quod ut si nudus expe-
ctatiarius, qui feudi possestionem apprehendere nequit inuesti-
*turam & possestionem a domino perit, vel vestitus ex*cl*ectatiarius*
feudi possestionem apprehendet aut si hoc non licet, remedii pos-
sestoris possestionem perseuntur, de qua quaestione iam supra
(§. 58.) actum. Hic suppono exspectatiarium, cuius exspectatio in-
vestitura confirmata fuit, & qui iam est in feudi aperti possestionem.
De eo enim tantum moueri potest quaestio: an & intra quod tem-
pus ad petendam inuestiturae renovationem sit obligatus.

§. LXI.

2) ratione
praestatio-
Effectus absolutae acquisitionis feudi per successionem
exspectatiarii in feudum apertum, quod praestationes pecu-
niarins, veluti laudemium maius & minus, taxam feuda-
mariarum: lem &c. in eo consistit, quod exspectatiarius ad eas praesta-
tiones

stationes pecuniaries sit obligatus, quae ex curiae consuetudine extraneus feudum acquirens soluere tenet; siveque in specie exspectatiarius succedens in feudum imperii, praeter alias satis notas & pro casuum diversitate diuersas praestationes pecuniarias, certam pecuniae sumnam, unam, sub nomine laudemii, iudicio imperiali aulico, alteram, sub non ine pecuniae successoriae (der Anfalls-Gelder), cancellariae imperii soluere debet. Est enim exspectatiarius extraneus, & quod in specie attinet seuda imperii, per Capit. Nou. Art. 17 §. 19. a solutione der laudemien und Anfalls-Gelder tantum successores feudales simultanea inuestitura gaudentes liberantur, ad quos exspectatiarii referri nequeunt.

Sunt quidem verba in capitulatione l.c. obvia: *von denen Leben, danit sie allbereit coinuesiret gelassen,* propter verbum: *coinuesiret,* dubiae interpretationis; plerique tamen sub coinuestitis, simultaneo inuestitos intelligendos esse, defendunt. MOSER Einleitung in den Reichs-Hofraths-Proc. ss. P. 3. Cap. 4. §. 106. Sed haec iam nihil ad me. Sit enim horum verborum secundum III. ESTOR. in Diff. *in onore laudemii deposito.* Sect. 3. §. 28. vera mens haec: ut in posterum omnes illi agnati successores, qui sunt a latere defuncti vasalli positi, quoque in ordinum regni numero videmus, exempti sint onere laudemii, nihilominus tamen exspectatiarii sub exemptione comprehendendi nequeunt, quibus proinde recte Illustr. SCHMAVSSIVS in comp. iur. publ. L. 2. C. 5. §. 8. edit. nou. hoc onus imponit, quamvis male dicat l.c. *in einem tandemio oder Anfalls-Geld,* cum laudemium & pecunia successoria (Anfalls-Geld) a se inuicem differant & viraque pecunia soluenda sit, siveque potius, *in einem laudemio und Anfalls-Geld* dicendum fuisset. In quo vero differant haec diuersae pecuniae species, ex ipsa propositione patet, & pluribus ostendit III. ESTOR l.c. Sect. 5.

§. LXII.

3) ratione fructuum ratione fructuum feudum, & in genere separationis feudi feudalium ab allodio idem sunt, cum iis, qui locum habent, si feudum & in genere separationis feudi ab al-redit ad dominum, seu quod idem est, quod iustum est ratione fructuum feudum, & in genere separationis feudi ab allo-dio, si feudum reddit ad dominum, idem etiam iustum est, si exspectatiarius per successionem vi exspectatiuae feudum ac-quisiuit. Cum enim, si exspectatiarius succedit, feendum domino simpliciter apertum factum est (§. 23.), ad dominum rediisset feendum, nisi adfuisset exspectatiarius, & per consequens exspectatiarius caussam a domino habet & in locum eius surrogatur. At enim uero surrogatum tamdiu sapit naturam surrogati, quamdiu ratio diversitatis probari nequit, quae, cum ratione fructuum feudali-um & in genere separationis feudi ab allodio, probari nequeat, vera est propositio demonstranda.

§. LXIII.

4) obligatio-num ex fa-sitionis feudi, ratione obligacionis ex factis antece-forum, etis antec-e-qualia sunt, subinfeudatio, oppignoratio, alienatio pertinen-tiarum feudum, seruitutum constitutio, & si feendum est torium, exspectatiuae concessio, reinfeudatio feudorum apertorum, appropriatio seu orum, mutatio feudi, veluti masculini feudi in femininum, noui franci in francum, non hereditarii in hereditarium &c. co-jesus in actus vassalorum, quos sine domini directi consensu valide peragere nequeunt, hic est, quod in exspectatiuarum, nunc vassalum possesso-rem, transiunt obligationes ex factis antece-forum eatus, quatenus transeunt in ipsum dominum, si, apertura facta, feu

B7.1

feudam rediſſet ad dominum: niſi forſan exſpectatiua ita congeſſa, vt vasallorum poſſeſſorum facultaſ de feudo diſpo- nendi in fauorem exſpectatiuarii limitata, veluti ne licet poſthac feudum oppignorare, aut quo quo modo onerare; quo caſu, licet obligatio ex facto anteceſſoris talis fit, quae tranſiſſet in dominum, feudo ad eum reuerſo, ea tamen non tranſiſt in exſpectatiuarium, nunc vasallum poſſeſſorem, qua- tenus limites poſſitos ſunt tranſgressi vasalli poſſeſſores. Haec propositio quoad partem primam eodem modo demonſtratur, quo propositio, quam §. praecedens firmiter, demonſtrata eſt. Quoad secundam partem vero, quae limitatio- nem contineat, veritas eius per ſe tam clara eſt, ut non opus eſt, eam per demonstrationem euincere.

Sic e. g. cum dominus, qui in oppignorationem conſenſit, obli- gatus fit, feudo ad iſum deuolutō, debitum cum vſuris ſoluere, ad huiusmodi debitum ſoluendum tenerur quoque iſi, qui vi ex- ſpectatiuae feudum capit. STRV. ſynt. iur. feud. cap. 12. theſ. 21. n. 2. Hoc viuicium exemplum ſufficiat illustrationis gratia, cum do- mini feudi, feudo aperto ad eum deuoluto, ex facto vasallorum, hic ſupponendā, ne immisceam, quae ad thema meum non per- tinent. Quod attinet limitacionem adiectam, ita exſpectatiuam concedi poſſe, vi vasallorum poſſeſſorum facultaſ de feudo diſpo- nendi limitetur, dubio quidem carer, aſt, an dominus, qui, vt conſtat, in regula abſque conſenſu, vasalli exſpectatiuam concede- re potest in feudum. & in hoc caſu abſque eius conſenſu hoc fa- cere poſſit? alia quaefatio eſt, quae hic non decidenda. Cum vero limites vasallis poſſeſſoribus ratione facultaſ de feudo poſthac di- ſponendi in fauorem exſpectatiuarii poſſiti, variis, immo infinitis modis determinari poſſunt, non niſi generaliter definiiri potuit, quid ſub hac hypotheſi ratione obligationis exſpectatiuarii, nunc vasalli poſſeſſoris limites poſſitos ſunt tranſgressi, id quod, in quo- liber caſu dato, ex iſis verbis limitationem continentibus aſtiman- dum, & tum demum responderi potest ad quaefitiones huic perti- nentes.

nenes, veluti: quatenus obligatio ex reinfeudatione, exspectatiuae concessionē &c. transeat sub hac hypothesi in exspectatiuarium, nunc vasallum possessoriem. Facem hic praeferit Ill. quondam *Ducatus Magdeburgici Consiliarius Joann. Christoph. HEROLD in obseru. consultatio - decisus forensibus obs. 1--8.* in quibus varii casus obligationum exspectatiuarii, nunc vasalli possessoris, ex facto antecedoloris, cuius facultas de feudo post factam exspectatiuae concessionem disponendi in fauorem exspectatiuarii restricta, enucleati & decisi, decisionesque praeiudiciis corroboratae sunt.

§. XLIV.

Plura non addo, & quidem, ne quid dissimulem, non tam ob temporis penuriam, quam potius ob meam ignorantiam & virium mearum imbecillitatem. Dixi, quae scio de hoc themata, & digna mihi visa sunt, ut ingrediantur hoc specimen, cui finem impono cum voto, ut exspectatiuarii feudales, quorum spes iam impleta, adhuc diu fruantur feidis per exspectatiuam acquisitis, reliquorum vero spes, si ita absque uoto captandae mortis, optare licet, mox impleatur.

F I N I S.



ULB Halle


001 015 494

3



Sb.





4.

DISSESSATIO IVRIDICA
DE
**SUCCESSIONE
EXSPECTATIVARIORVM
IN
FEVDVM APERTVM**

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT
POTENTISS. PRUSSIAE REGI A CONSLIIS AVLICIS
ET IVRIVM PROFESS. PVBL. ORDIN.
DIE XXI. OCTOBRIS C¹⁵ I⁵ CC^{LII}.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SUBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS
HENRIC. IAC. CHRIST. BRÜCKNER
ERFORDIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

